



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitte ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

De Deo dicuntur nomina concreta abstracta, & denominatiua. cap 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Alensis.
Richard.

termini simplices, quibus diuina significamus, non exprimitur illa sicuti sunt: deinde, si ad ipsas propositiones attendamus, intelligendum ex parte compositionis, quæ inuoluitur, non ex parte identitatis, quæ significatur, ut notat Alensis 1. p. q. 51. m. 2. & Richard. ubi proxime. Ad rationem responderetur, licet ut plurimum diuina ad modum creatorum concipiamus, posse tamen concipi rationes perfectionis simpliciter in summa præcisione ab omni imperfectione, & hoc modo de Deo affirmari. Ad ultimum responderetur non repugnare, ut forma sine subiecto inhesionis sit subiectum prædicationis: nam de huius ratione non est, ut prædicatum ipsi propriè, inhaereat; sed ut modo aliquo verè conueniat per vnitatem, vel identitatem, ut explicat Diuus Thomas, & alij.

De Deo dicuntur nomina concreta abstracta, & denominatiua.

CAPUT II.

I.
S. Thom.

Superiore capite dictum est, posse diuina complexa à nobis concipi, & enunciari, sed quoniam ut notat D. Thom. 1. p. q. 39. ar. 3. & 4. veritas propositionum, non solum pendet ex rebus ipsis, sed ex modo concipiendi, & significandi nostro, res autem significamus nominibus abstractis, concretis, & denominatiuis: non abs re erit explicare, an omnibus uti liceat in prædicationibus diuinis: quod fiet hoc capite: deinde in sequentibus explicabitur utrum, & quomodo singula de se, vel aliis prædicentur. Dicitur autem nomen abstractum ex eo, quod significat obiectum sub abstractione ab alijs, cum quibus est aptum reperiri, vel de facto reperitur: nam, cum nulla res abstrahi possit ab his, quæ sunt de ratione eius intrinseca, fit ut abstractio solum fiat ab illis, cum quibus forma abstracta accidentaliter coniungitur: & ideo dicitur abstractum, quoniam ut notat Capreol. in 1. d. 8. q. 1. ar. 1. post primam conclusionem in tertia ratione D. Thomæ, ab ijs, quæ per accidens conueniunt, extractum est. Cum verò sint plura genera accidentium, sunt quoque plures modi abstractionis: duo tamen præcipui communiter traduntur: nempe abstractio ab inferioribus, quæ est propria rerum vniuersalium, quando concipiuntur præcisè à singulis: & abstractio à subiecto, siue supposito per se subsistente. Prior abstractio non pertinet ad præsens institutum, non enim nomina denominantur abstracta eo, quod significant obiectum abstractum ab inferioribus, homo enim significat solum hominem in communi, nec tamen est nomen abstractum: contra verò diuinitas est nomen abstractum, & significat naturam singularem. Posterior

Capreol.

verò abstractio est, à qua nomina dicuntur abstracta, & contraponuntur concretis, ac diuidunt omne genus nominum. Concreta verò, ut notat idem Capreol. dicuntur quoniam sunt coniuncta cum alijs secundum rem, vel rationem: hoc est quia significant formam copulatam cum ijs, quæ non pertinent intrinsece ad eius rationem formalem: propriè tamen loquendo nomen concretum est, quod significat formam, vel naturam quasi copositam cum habente ipsam: unde S. Thom. in 1. d. 22. q. vn. ar. 1. ad 3. & S. Bonauent. d. 4. art. 1. q. 1. hoc statuunt discrimen inter nomen concretum, & abstractum: quod abstractum imponitur formæ, & à forma, concretum verò imponitur quiddam à forma, non tamen formæ, sed supposito, siue habenti formam, quasi significet compositam formam cum subiecto ipsius: ex quo Dialectici aiunt nomen concretum habere compositum significandi modum, abstractum verò simplicem.

Ex dictis eliciuntur proprietates nominis abstracti, & concreti. Prima, & maxime propria ratio nominis abstracti est, ut significet formam præcisam à subsistente: & quoniam subsistentia sunt coposita apud nos, abstracta habent simpliciter significandi modum. Quoniam verò simplicia apud nos habent rationem partis, fit ut abstracta significet per modum partis, & formæ, ut ait S. Thom. in 1. d. 33. qu. vn. art. 2. in fine corporis: rursum quoniam forma non est, quod est, sed quo aliquid est, abstracta significant suum obiectum, ut id, quo aliquid est, ut docet D. Thom. 1. cōtra Gentes c. 30. & 1. p. q. 13. art. 1. ad secundum. Bonauent. in 1. d. 27. 1. p. ar. vn. q. 3. Quoniam verò multipliciter res est per aliquid, nempe vel causaliter, ut aer sole lucidus, vel materialiter, ut paries candore similis, vel formaliter, ut Animal sanitate sancti, nomen abstractum significat, ut id, quo aliquid est formaliter tale: Ad hoc verò duo exigit Capreolus ubi supra, nimirum ut sola, ac tota forma subiectum sit formaliter tale; siue, ut idem vno verbo clariùs dicatur, ut sit forma, quo ad æquate constituitur subiectum inesse concreto: ad quod requiritur, ut subiectum non contineat plus, vel minus, quæ accipiat à forma, ut se habet humanitas ad hominem: nam sola humanitas, non verò forma alia in ea minimè inclusa concurrat ad constitutionem formalem hominis: cōcurrit item tota humanitas ad eundem effectum formalem, quoniam nihil est in ipsa, quod non concurrat saltem partialiter ad constituendum formaliter hominem: quod cōuenit alijs formis: nam animalitas, & rationalitas seorsim superte partialiter sunt id, quo homo est, non tamen vnaquæque per se sola:

Capreol.

S. Thom.
S. Bonauent.

II.

IV.

S. Thom.

S. Bonauent.

S. Thom.

Capreol.

Formaliter
Causam

folā : animalitate enim est homo animal, rationalitate vero rationalis: & ideò neque animalitas, neque rationalitas sunt nomina abstracta hominis. Ratio est, quoniam forma per nomen abstractum sui significati solum abstrahit ab eo, quod est, non vero ab eo, quo est: at vero animalitas abstrahit à rationalitate, qua homo partialiter est, & ideò non est abstractum hominis.

Concreta vero contrario modo se habent: nam significant subsistens compositum, & per modum totius: vt docent S. Thomas I. contra Gentes cap. 30. & in I. d. 33. q. vn. art. 2. in fine corporis. Bonauent. d. 27. I. p. art. vn. q. 3. & alij: significant subsistens, quia significant per modum substantiæ, cuius proprium est esse: quoniam vero nos non intelligimus res subsistentes, nisi per modum substantiæ compositæ, fit etiam, vt concreta significant per modum compositionis: tandem, quia composita apud nos sunt entia completa, & totalia, idcirco nomina concreta significant per modum totius: Solemus enim composita completa nominibus concretis significare, partes vero abstractis: sicut enim abstracta significant formam, qua sola, & tota aliquid est, ita concreta significant adæquatū effectum, seu quasi effectū formalem abstracti: nam album est adæquatus effectus formalis albedinis, & homo humanitatis.

Verum aduersus dicta se offert hæc dubitatio: quoniam nomen connotatiuum est concretum, & non significat per modum substantiæ, sed per modum accidentis, significat enim per modum adiacentis, vt Logici loquuntur. Item D. Thom. in I. d. 22. q. vn. art. 1. ad tertium, ait illud, quod significatur per nomen, significari per modum subsistentis, & vtitur exemplo huius nominis *albedo*: hoc vero est abstractum: quare abstracta significant per modum subsistentis: atque adeò nō est penes hoc discrimen inter concretum, & abstractum. Hæc argumenta petunt vt assignetur discrimen inter nomina absoluta, & connotatiua: prius tamen videndum, quæ sint nomina connotatiua, quæ absoluta: nam nomen connotatiuum non denominatur à qualibet connotatione, sed à solâ connotatione subiecti: idcirco, quæ connotant obiectum, vel quid simile, non sunt hoc modo connotatiua: vt patet in scientia, quæ connotat scibile, nec sufficit connotatio subiecti in obliquo, vt rectè notauit Ferrarientis lib. 1. contra gentes cap. 30. §. *Ad euidentiam*, & Caiet. I. p. q. 13. art. 1. §. vlt. Sed necessariò requiritur in recto: nam *Similitas* connotat nasum, nec tamen est nomen connotatiuum, quia con-

notat illum in obliquo: est tamen, *Simus*, quia connotat in recto: si enim quis interroget, quid est *simus*? respondetur est nasus curuus. Absolutū vero nomē est, quod nō connotat subiectum extraneum formæ significatæ. Itaque proprium discrimen absoluti, & connotatiui nō est sitū in eo, vt hoc connotet, illud vero minimè: Homo enim est nomē absolutū, & tamē connotat suppositum humanitatis. Differunt ergo propriè quia absolutū significat per modū substantiæ, id est, nō significat formale significatū per modū adiacentis subiecto, sed tanquam formā intrinsecam supposito ipsi: vt significant cōcreta substantiua, verbi gratia homo, Angelus, lapis. Connotatiuum vero, siue denominatiuum, vt alij vocant, significat formam, vt in habēte illā accidentāliter: vt nomen iustus, sapiens, &c. & hoc indicat

D. Thom. in I. d. 17. q. 1. art. 5. ad secundum, cum ait denominationē propriè esse secundum habitudinē accidentis ad subiectum. Ex quo patet solutio ad primā rationem huius dubij: nā omne concretū, siue substantiuum, siue adiectiuium significat per modum subsistentis, quia significat formā, vt in habēte illam, siue significat habens formā: differt tamē substantiuium ab adiectiuo, seu potius absolutum à connotatiuo: quod absolutum significat formā, vt intrinsecam subsistenti, connotatiuum autem, vt accidentariam, & extrinsecam. Ad secundū rectè respondet Ferrar. vbi supra §. *Ad primum*, D. Thom. eo loco conferre nomina non inter se, sed cum verbis: & ideò, cum ait nomina significare per modū subsistentis, nō accipere subsistens, prout opponitur formæ, siue rationi subsistenti, sed prout opponitur fluenti, siue quod est in motu: quo pacto significant verba: & hac ratione omne nomen siue abstractū, siue concretū significat per modum subsistentis, siue quietis, & nō per modum actus egredientis à subiecto.

Explicatis terminis, in primis dicendum est de Deo dici nomina abstracta, & cōcreta tā absoluta, quā connotatiua: dicitur enim lux, vita, sapientia, dicitur Spiritus, Deus, iustus, sapiens, & in sacris literis passim occurrent nomina horum trium generum: & quamuis nomina abstracta rarius vsurpentur, tamē apud Sanctos Patres frequens est eorū vsus. In primis vero apud Dionysium lib. de diuinis nominibus: idē docent communiter Doctores Scholastici D. Thom.

V.

Magn. Dion.

S. Thom.

S. Bonauent.

Henric.

Aureol.

vsus ipsum, & experientiam. Henr. tamen ubi supra id probat, quoniam res eo modo significamus, quo concipimus, nõ vero quo sunt in se: quamuis ergo modus horum omnium nominum, nõ sit adæquatus modo ipsi perfectionum diuinarum, est tamen expressius earundem rerum, prout à nobis concipiuntur: concipimus autem diuina ad modum, quo intelligimus creata: hæc vero modo percipimus, vt formas simplices cum præcisione à subiecto, modo vt res cõpletas in ratione substantiæ, & subsistentes, modo vt formas extrinsecas rationi formali intrinsecæ subiecti, compositas tamen cum eo per modum subsistentis: ergo etiã his omnib⁹ modis concipimus, & significamus diuina: nõ modo vt formas simplices abstracte significamus nomine, *Deitas, iustitia, &c.* modo per modum compositionis, quasi in habente ipsas intrinsecæ, atque essentialiter, nomine, *Deus Spiritus*, & similibus: modo denique tanquam formas extrinsecas, & accidentales eidem, vt nomine *diuinus, sapiens, iustus, &c.*

VI.

Dicendum secundo, omnia eiusmodi nomina quo ad modum significandi, dici improprie de Deo, ita tamen, vt magis proprie vsurpentur abstracta, quam concreta; absoluta, quã connotatiua. Prima pars est communis inter Doctores, ita D. Thom. lib. I. contra gentes cap. 30. cum Ferrar. I. p. q. 13. art. 1. ad 2. & in I. d. 33. q. vn. art. 2. in fine corporis. Henr. in sum. art. 74. q. 4. & alij, & probatur ex lib. de causis propositione 6. ubi dicitur, nihil proprie de Deo dici, non abstractum propter imperfectionem, non concretum propter compositionem. Vt autem pateat, qua ratione hæc improprietas cõueniat solum ex modo significandi, notandum cum D. Thoma I. contra gentes cap. cit. & Ferrar. §. *Quantum ad secundum*, modum imperfectum, siue repugnantem subiecto, nunc significari per nomen, nunc vero non significari, sed indicari: quia scilicet eiusmodi nomen in creatis significat res habentes peculiarem modum imperfectionis: verbi gratia, nomen concretum non significat ipsam compositionem, sed res per modum compositionis: abstractum vero non significat ipsam rationem partis, aut formæ, sed res ipsas per modum partis, vel formæ: signum vero ad dignoscendum, vtrum modus se teneat ex parte rei intellectæ, an vero ex parte intellectus, desumi debet ex formali significato: nam, si mutato prorsus formali significato maneat idẽ modus in diuersis nominibus, econtra vero illo manente mutetur, habebit se solummodo ex parte intellectus, aut

modi significandi: contra vero si mutato formali significato mutatur modus, & manente manet, habet se ex parte rei significatæ: ratio est quoniam modus imperfectus ex parte rei significatæ variatur mutato formali significato, & eo manente manet: nam, cum radix talis imperfectionis sit significatum formale, eo manente manet imperfectio, sublato vero potest tolli. Exemplum posterioris est inherencia: nam siue significetur nomine abstracto, *inherencia*, siue nomine concreto, *inherens*, idem est formale significatum, & utroque nomine significatur idem modus imperfectionis. Exemplum prioris est in abstractis, & concretis: nam, quantumuis formale significatum sit idem, vel diuersum, omnia tamen nomina concreta significant per modum compositionis, abstracta per modum partis, ac formæ: ergo signum est, imperfectionem importatam per eiusmodi nomina, nõ se habere ex parte rei significatæ, sed ex parte modi significandi.

VII.

Posterior vero pars eiusdem assertio- nis, quod attinet ad comparisonem abstractorum cum concretis, Traditur à S. Bonauent. in I. d. 34. q. 2. in corpore. Henr. art. 73. q. 7. Rubion. in I. d. 8. q. 5. art. 2. conclusionem 4. & alij, & est communis sanctorum Patrum asserentium, abstracta magis proprie dici de Deo, quam concreta, quos referam cap. 12. Fundamentum est, quoniam nomina abstracta habent tres rationes particulares, quæ defunt concretis: nam abstracta significant sua obiecta per modum simplicium, concreta vero per modum compositorum: abstracta significant per modum identitatis in ratione formali, concreta vero per modum identitatis in subiecto: hæc enim sola identitas satis est ad verificandas propositiones, in quibus prædicantur nomina concreta: denique abstracta in prædicatione formali semper prædicantur per modum quidditatum, concreta vero nequaquam: ratio vero est, quoniam cum abstracta præscindant ab omni extraneo & accidentali respectu formæ, siue quidditatis significatæ, nequeunt prædicari accidentaliter de subiecto: concreta vero non abstrahunt ab extrinsecis formali significato: ideoque possunt esse prædicata in propositione accidentali, vt cum dicitur, *Alexander est Rex, Homo est albus*. Quamuis autem concreta ex proprio modo significandi dicant subsistens, & quasi completum inesse, quod abstractis minime cõuenit, quia tamen carent prædictis modis perfectionis, & ipsum esse, vel subsistentiam dicunt quasi extraneam naturæ rei signifi-

S. Thom.
Ferrariens.

Henric.
Auctor de
causis.

S. Thom.
Ferrariens.

significata, & aliunde participatam, minus propriè tribuuntur Deo, quam abstracta. Iam vero concreta absoluta magis propriè tribui Deo, quam connotatiua, vel denominatiua, patet, quoniam connotatiua habent omnem modum significandi imperfectum, quem habent concreta absoluta, & addunt proprium: est vero, ut patet ex dictis, modus significandi formalis significatum, ut extrinsecum, & accidentarium subiecto: & sic ex modo significandi dicunt inhærentiam ex parte prædicati, & potentialitatem ex parte subiecti: nomina vero concreta absoluta nequaquam habent hunc modum significandi, solum enim significant formam quasi compositam subiecto, tanquam cum supposito per ipsam formaliter, & intrinsecè subsistente: ut patet in nomine, *Homo, Angelus, Deus*, & similibus.

De veritate propositionum constantium utroque termino concreto, & prædicato concreto, subiecto vero abstracto.

CAPVT III.

VT muniatur via ad indagandam veritatem propositionum in terminis diuinis, explicandæ prius sunt regulæ, ex quibus iudicari id possit absolute etiam in terminis creatis, ne postea in singulis hæreamus. Est vero multiplex genus enunciationis ratione diuersitatis terminorum, quibus constat. Alijs vero omis- sis, quatuor modi sunt considerandi: omnis enim propositio vel constat utroque termino concreto, vel utroque abstracto: vel subiecto concreto, prædicato vero abstracto: vel denique subiecto abstracto, prædicato autem concreto. Hoc capite dicam de primo, & ultimo, reliquos in sequentibus expediam. Est vero supponendum, tanquam fundamentum unitatem, siue identitatem prædicati cum subiecto esse rationem, cur propositio sit vera: ut sumitur ex S. Thoma in 3. dist. 11. quæst. vn. art. 4. ad 6. & d. 12. quæst. 1. art. 1. ad 6. ex eo enim, quod res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa, ut ait Aristoteles lib. 4. Metaphys. cap. 7. t. 27. Verum, cum multiplex sit unitas, vel identitas, oportet explicare, quæ unitas sufficiat ad affirmationem, quæ diuersitas ad negationem. Et quidem pro omnibus omnino nominibus non potest vnica regula assignari, sed diuersæ pro-

nominum diuersitate præscribendæ sunt. Ut vero incipiam à concretis, ad veritatem propositionis affirmatiuæ constantis utroque termino concreto sufficit, & requiritur identitas subiecti: ad veritatem vero negatiuæ diuersitas eiusdem. Porro subiectum non necessariò debet esse inhærentis, sed sat est, ut sit suppositum, cui est forma intrinseca, & essentialis, vel subiectum denominationis extrinsecæ: quæ ratione denominantur obiecta ab actibus, qui ipsis minimè inexistunt: dicitur enim Petrus homo, nec tamen est subiectum inhærentis respectu humanitatis, & lapis dicitur videri, cum tamen visio non ipsi, sed oculo videntis insit. Est vero discrimen inter identitatem, ac distinctionem: nam identitas debet esse positiua, quia necessariò requiritur, ut forma significata per vnum terminum inexistat significato alterius: vel ut vterque terminus connotet idem subiectum: diuersitas autem non oportet, ut sit positiua quasi necessariò requiratur, ut forma negata sit in alio subiecto: nam, si nullum omnino corpus sit album, adhuc albedo verè negabitur de Socrate: neque etiam sufficit: nā iustitia & sapientia diuina sunt in filio, & Spiritu sancto, qui sunt subiecta à Patre distincta: & tamen, quia eadem perfectiones sunt etiam in Patre, verè dicitur, Pater est sapiens & iustus: requiritur ergo, ut distinguantur subiecto negatiuè: hoc est, ut forma significata per vtrumque terminum non sit in eodè subiecto. Prior pars regulæ patet inductione. si enim adsit sola identitas subiecti cum quauis alia distinctione, propositio erit vera, ut patet innumeris exemplis: nam verè dicitur homo est albus, ignis calidus, & similia: & tamen formæ significatæ per subiectum ac prædicatum non sunt vnum genere, specie, aut ratione formali, sed solum vnum subiecto. Ratio huius regulæ est, quoniam concreta significant formas, ut in habente, vel significant subsistens in forma: qui modus significandi importat identitatem siue unitatem subiecti, ut notat D. Bonauentura in 1. dist. 34. quæst. 2. & alij. Et ideo ad veritatem non solum requiritur identitas à parte rei prædicati cum subiecto, sed etiam debet importari ipso modo significanti: nisi enim importetur ex modo loquendi, indicatur, non enunciari vnum de altero ratione identitatis in subiecto, sed ratione identitatis realis, vel secundum rationes formales, quæ si absint, falsa est prædicatio: ideo enim hæc est falsa: *dulcor est candor*, quamuis vterque insit idem subiecto,

S. Bonauent.